

lō hactenus sit assertum , cui non cucurbita pro capite ,
videndum tamen , an id ratione naturali demonstrari
possit , quod omnino fieri potest , sumto fundamento
I. Ab exclusione potentiae passivae ab essentiā divinā : O-
mne corpus est in potentia , quia est continuum : potest
ergo dividi in infinitum . Semper enim facta quācunq; di-
visione , consurgit nova potentia ad ulteriorem divisio-
nem , inquit Soncinas lib. 12. Met. q. 40. D E u s verò cum
sit primum Ens , impossibile est ipsum esse in potentia , à
quō namq; reducetur ad actum ? quod enim est in po-
tentia non reducitur in actum nisi per Ens actu , inquit
Thomas p. I. q. 3. art. 1. Impossibile itaque est D E U M
esse corpus .

57. II. A negatione partium : Si D E u s esset cor-
pus , haberet partes extra partes : omne namq; corpus est
materiatum . Facere enim corpus sine materiā , est facere
insomnium sine somno , teste Magno Scalig. exerc. 359.
S. II. Si haberet partes extra partes , una pars terminaret
aliam , & sic D E u s non esset infinitus , quod falsum esse
patebit infra . Eset præterea in DEO compositio ex mate-
riā & formā , quam tamen longissimè à D E O abesse dice-
tur in attributo simplicitatis . Pulchram quoq; adducit
rationē Platonicus Philosophus Plotinus l. 4. enn. 5. p. 80 :
Corpus omne fit , inquit , ideoq; principiū esse nō potest ,
quippe cum principium sit ingenitum . Resumere quoq;
possemus rationem inferius allatam de accidentibus ,
quod nimis in D E O sic esset perfectivum & perfecti-
bile : Omnis namq; materia imperfecta est , & per for-
mam perficienda : Forma verò perfectiva materiæ & il-
lam actuans . Quæ absurdæ & alia plurima , quæ hinc pul-
lulant , neminem non absterrere possunt ab hac crudā
senten-